

UNIVERSITY OF HANNOVER

Jahresbericht

über das

Königl. Progymnasium in Dt. Crone

vom

Herbst 1850 bis zum Herbst 1851,

womit

zu der am 2ten August abzuhaltenden

öffentlichen Prüfung der Schüler

ergebenst einladet

Franz Heinrich Malkowsky,

~~Director~~

Inhalt: I. De poesis natura et partizione. II. De origine vocis Edepol / von dem wissenschaftlichen
Höflehrer Peter Weierstrass; und Schulnachrichten vom Director.

Deutsch-Crone,
gedruckt bei P. Gains.

REVIEW OF BOOKS

MISSING THE IRISH AUTOMOBILE INDUSTRY

John C. Murphy, Jr., *Irish Automobilia*, 1912-1922.

etiam huiusmodi visib[il]e imp[er]ceptibilis invenit. Sicut[us] hoc est prius agimus. Et
omnium universorum omnium corporum vel materialium rerum, et corporis hominis, et corporis animalis,
et qualiter sunt mundis similitudines? Cetero, "Neque enim in mundo videtur nisi res bona
renuntiantur auctoritate illius, qui sicut est in corpore, et quod est in corpore, et quod est in
animis, et quod est in animalibus, et quod est in hominibus, et quod est in aliis rationibus, et quod est in
obiectis, et quod est in sensib[il]e, et quod est in immaterialibus, et quod est in spiritu, et quod est in
spiritu sancto." S

I.

De poesis natura et partitione.

Multa est doctorum hominum in poesi et definienda et partienda dissensio. Quibus
interdum accidit, ut, dum principiis propositis singula dicimierant vel testimoniabant, modo
genera non explicarent, quod in iudicio male haesitent aut in diversas partes abripiantur.
Discendunt primi in principiis. A plerisque ad sensuum voluptatem suavitatem
que omnis poesis origo revocatur; unde fit, ut in poetis illud maxime obseruent amentia
que, quod sit pulchritudinis specie conformatum animamque aut imaginum coloribus
aut sententiarum venustate allicit. Hi quidem arti plurimum tribuunt et censoria
sua potestate maxime gaudent.

Alii autem, recte quidem majus quoddam animo complexi, abditorem poesis
fontem investigaverunt eaque omnem ad reconditas rationis perfectae regiones retu-
lerunt, multa de speciebus rerum subobscurè locuti. Qui utrique, quae est pars sive
gradus poesis, eam diligenter bene quidem perspexere nec non explicant, sed ab uni-
versi generis agnitione, natura, vi pariter distant.

Denique quaedam alia poesis ratio vel pravitas in transitu attingenda est, cu-
jus principia, quoniam apud doctos sapientesque eorum mentio movetnr, eo magis
apud aequales gratia valent atque voluntur. Sunt enim perinulti poetae, a quibus
quidquid est vehementer temere, licenter, lascive, impiæ, sed mira quadam sententia-
rum novitate cum verborum splendorè editum, perplacet atque aridet. Hos nescio
an illa humanae mentis affectio, iquae, quam solita, vera, simplicia satietatem facile
moveant, in partem contrariam abducitur (veluti narrator festivus in fabulatorem men-
daciem atque odiosum saepe depravatur), eo adduxerit, ut ipsi versibus, imaginibus,
sententiarum et rerum specie poetae tamen omnem prorsus poesim tollerent, quam
universae hujus materiae detractas commenta, falsa, vana supposuissent, non tamen
sine illis animi ingenii celeribus motibus, qui essent ad excogitandum acuti ube-
resque ad ornandum et distinguendum.

Sed neque ista poesis est, neque eorum audienda sunt judicia, qui illud solum — nescio quod dicam — populare, humile, rude atque rusticum miro quodam amore amplexi cetera, quae sint politiora, fere a Parnasso excludunt. Sinamus his bonis viris undique collecta temporum antiquissimorum carmina, qualia in silvis Aboriginalum increpue, vel inter boum mugitus in montibus horrida sonant, vel in agris, triviis atque tabernis audiuntur, si quidem iis delectantur, qua de re disputari jam nullo modo potest.

Mihi vero poesis origo videtur esse ad universitatem mentis humanae referenda, ita ut, quodcumque sit in genere poetarum est, et vera, simplici, integra humilitate fuerit profectum.

Tripartita autem ratio est humanae mentis, cognoscendi, sentiendi, appetendi; sive intelligentia, affectionis varietas, tertiumque illud, quum celerius moventur animi, sive cupiditatis, voluntatis, desiderii. Ut de existentia primorum secundum humanam scientiam, sapientiam, et rationem, resiliat, utique intelligentia est alterum illud, laetitia, et maledictio, studium, et ira, amor, et odium, decorum, indecorum, tum venustatis, atque sublimitatis judicium, nequitas, aequitas, pudor, pietas, religio; deinde animi tum cupidines, et perturbationes, tum via roburque agendi, et expetendi.

Jam poesis, ex veterum doctrina, est imitatio, quoniam illa definitionem sive ad dramatum, epicumque genus regulatur, id est Aristotelis seu dicere: Οὐδὲν δέ επούρ εστι ταῦ οὐρανοῖς ἐπιτελοῦται πλὴν τὸ μέρος. Sed invenimus latius patet, nisi eam vis regum, gestarum, actionum, in orationum tantum spectemus, sed in genitrix, non enim haec sola, qui sunt effectus, et quasi finis motuum animi, complexis, sed, quoniam horum inter se pugna, origo, mutatio, insus, atque labore meam modum, et formam, quam in poematis percipientis afficiunt, delectationem, ceterae quoque partes, inimici, quarum motus, quasi foras non prodeunt, et oculis, non conspicuntur, pari jure, prout enim ingenio artisque subjectae fuerint.

Rectius, quam Gerinani, poetis Graeci nomen impasseverunt, in nos, quae vox de nolis flexa ita intelligenda est, ut priusquam in generalem faciendi notionem dilatata esset, significaret, materiae cuidam certam, circumscripsum, propriam formam induere. Sic nos inventi sumus ipsum artem, Graeci autem compositionis atque constitutionis latidem poetis attribuerunt, utrique a narratione fabularum, quae fuere carminum initia, nomina ducentes; sed Graecorum poetarum epicis intra populi montorianam sunt versati, Germanorum res gestas heroasque aliunde magnam partem repetiverunt, ut eorum carmina facti et inventi speciem praeseferrent.

Imitatio poetica, si quidem universam mentis humanae vim complectitur, aliena est primum a factionibus animorum, si ita dici licet, sive erunt civiles, sive litteratae; nam, quidquid extra humanitatem illam communem est, quum poeta ipse aut ordinibus

nostris temere relictis solus errat aut miro quodam conatu altius, quam conspici possit, evolavit, ab eo mens sana, sincera, simplex usque abhorrebit, neque illud suum agnoscat, neque ullo modo eo movebitur. Credo ego fore, quamquam haec sententia nimis insolens, dura, paene agrestis videtur, ut ne illius quidem, quem nostrates sunimur nostra gentis poetam renunciaverunt, fama ad infinitam posteritatem sit ventura; si quidem summa poetae cuiusdam laus iis potissimum operibus continetur, quae et ipse et aequales nobilissima ingenii sui monumenta existimaverunt.

Nam vera et integra illa, cuius speciem iachoximus, poesis non extra communem sensum cedit neque singulorum hominum quasi privatas opiniones aut unius animi singulares affectus, perturbationes, aegritudines — ineptas interdum — exprimit (quo quidem vitio recentiores poetae plerunque ita tenentur impliciti, ut eorum carmina, nisi ipsorum vitam, necessitudines privatas, educationis rationem, opinionum judiciorumque primordia, fugas, pugnas accurate novet, servatoque temporis ordine persecutus eris, vix possis intelligere), — sed universae humanae naturae vim et effectum, quo quidem pacto in singulis exsistit ostendit atque variate colorum depingit. —

Quae humanitas enim jam sit carminum materie constituta, ea quoque videntur esse tollenda, quae vita animalia que prorsus carent. At veteres poetae, quoad Musae integræ florebat omnium arboram, pratorum, florum descriptiones aliter, atque ornandi distinguendique causa carminibus inscruerunt?

At nostrates, mollioris ingenii impetu ducti, mortuam quandam poesim exercuerunt, quam in quo genus titulumve artis poeticae referant, nunc de critici atnuc incerti sunt.

Haec de definitione in universum dicenda fuit. Nulla vero esse potest de artis ingenive principatu controversia. Ingenii arte carens opus optimi formam non habet nulloque modo eodem est loco habendum, quo conjunctum utrumque; tamen, ut profectum ab humanis hominum animos tangit, ad se trahit, mouet tenetque. Illud autem sine ingenio sola ab arte profectum genus ut auribus placeat, imaginibus venustis referta sit, verborum elegantiis renideat; tamen frigus mentibus expellere nullis suis deliciis valet. Idem accidit, ubi versificatores, sentiendi expertes movendique animos ignari, oinne litterarum flumen effundunt totumque silentium praedaturi pervagantur. Nimirum quoque rerum subtilitas, argutiae sententiaeque ex abdito erutae abhorrent a poesi, quae, nisi in ea caro, sanguis, colores vivi nervique, nullo sane loco habenda est. Cave, ne in montibus erranter; neve in antris occultum quendam Apollinem quaeras; inest mentibus ipsis. Olim putatum est, esse poetas deorum interpretes vatesque divinitus missos, qui, Prometheo similes, lucem de coelo raptam secum tulissent. Fuisse eosdem humanitatis primae insitores, auctores legum religionumque, regesque quasi animorum. Mihi vero poetae terrestriores esse videntur neque ego eos

de coelo lapsos crediderim, ut illos divino instinctu afflatos viros, quos vere divina mortales docuisse nobis persuasum est; sed nobis eognatos, sodales, commilitones. Nam ea est ratio omnium poetarum, qui poetae sunt jure auctiandi, ut eorum nihil sit proprium et quasi peculiare, quo cum aequalibus communicato horum animi stupore fascinati defigantur novasque opiniones, nova studia, novos appetitus in se recipiant; sed interpretis tantum loco habendus est poeta, qui id, quo aequaliter animi moventur, quo se istius maxime animus fert; in quo lubentissime versatur, mente sua bene complexus ingenioque usus suis coloribus proprioque habitu atque vestitu ita effingat, ut in toto spectetur corpore populi sui aetatisque facies, nervi torique, sanguine vero per artus diffuso et tuncquam pellucente. Noli putare, haec sententia a dignitate et honore poetae quidquam detractum iri. O utinam multi divitis venae poetae intellexissent, oportere primum humanum esse, tum etiam domesticum poetam. An ubi gentium poeta sine patria quidquam valuit? — Tamen ne ita me intelligito, ut oporteat poetam *noluntur* esse, — quae ratio hodie in Sophocle ceterisque tragœdiarum scriptoribus interpretandis inepte satis inducta est; nam res civiles cadunt in rerum necessitatem, usum, commilitatem, quae palaestra non poetarum, sed civium est. — Ut paneis denique dicam, ingenii vis, opportune complectens recipiensque hominum popularium ex temporis ratione studia, sna e copia naturae nihil addere conata, ea, quae accepit, ad formam decori et venusti effingit, collocat, ornat, elaborat; veluti, si quidem ex physicis imaginem repetere licet, vitrum caustum collectis in unum exiguum locum solis radiis, quem ipsum sit ignis expers, flammias excitat. —

Diu in controversiam adductum fuit multorumque et virorum et calamiorum acies in ea sunt disceptatione obtusae, utrum unus Homerus Iliadem scripserit, an plures quasi conglutinaverint. Quae quidem quaestio illis tantum temporibus ponit et in contentionem venire potuit, quam poetae fabularum, herorum, sacrorum deorumque fere inventores fuisse existimarentur; sed tantum profuit, ut, quantum poetae, quantum populo debeatur, inde primum dignosci coepit sit.

Quum omnis poesis a tripartita mentis conditione fluat, tribus in rebus regnare quemlibet oportebit poetam. Primum est, ut in eo insit multa vis intelligendi percipiendique acies, sine qua dilucide, plane et apte describi quidquam non potest. Duplex huic rei materia. Pars sub adspectum sensum veniunt; corpora, formae, imagines rerum; tum ea, quae vivunt: homines, hominum naturae, virtutes, vicia, mores atque ingenia, quibus omnibus vita efficitur. Horum erit ille accuratus pictor, verus sincerusque narrator. Quae pingendi virtus quam desit multis poetis, ceterum bonis, in aliis ea, quae praeterae desiderantur, compensare non poterit. Intelligentia enim non in exteris tantum rebus versatur, sed rerum etiam naturam, leges, mundum, consensionem, vim insitam pernoscere et scrutari audet. Igitur poeta noster recta sanaque

sapiencia erit instructus sententiisque minus doctis, quam veris, magis aptis, quam ornatiss affluet, neque carnina frugis expertia expromet. — Sequitur, ut silvam illam substratam edolet, disponat, componat. In eo maxime ars valet cum subtili decori apertique judicio, quod in delectu et eloctione fere est omne positum. Formae sunt variae: sublime, pulcrum, bellum, concinnumque, horridum, severum, ridiculum; ille, decori semper secutus rationem, suo quidque loco collocabit. Magna autem ad hanc rem prudentia opus est, ne ultra recti normam ipse effluat neve venustates quaesitae, concinnitas elaborata, delectationis quoddam auctoratum manifesto deprehendantur. Omne enim, quod facti conglutinatique prae se speciem fert, fastidium movet atque molestum est. Sed illis, quanquam poeta perfectus et summus non efficitur, laus tamen aliqua continetur.

Deinde humanae menti inest quaedam mollitudo, quae partim occasionibus in praesentia movetur, instar chordarum digito pulsarum, partim stabilis atque aequalis iurpulsionibus extrinsecus oblatis tangitur et amat fugitive; occasionibus, ut amor, laetitia, exsultatio, ira, maledictio, dolor; illa vero constans, cunctis mortalibus simul insita, omnes, quae sunt inter homines societatis, necessitatis, amicitiae, honestatis, fidelitatis, religionum denique rationes, comprehendit. Et haec in poetis a populo desiderantur, sed ita, ut in his sui ipsius imaginem quasi speculo redditam conspicetur. Sed neque hac, quam attigi, virtute perfectus poeta existit; immo ista animi mollitudo facile in pravitatem vertitur, et, nullo temperante, immissis habenis praeceps fertur, ut prudenter quisque de via quam properantissime decedat.

Tertium denique, quod poetam habere postulamus, est vis movendi; quae nisi inest, nullum est absolutum, perfectumque poemata. In ea enim spiritus et calor omnis, adire — languebunt tepebuntque cuncta. Vigor autem omnis est aut in cupiditatibus, ut sunt amor, irae, superbia, ambitio, principatus cupido, aut in moribus, qui virtute, fortitudine, patriae gloriaeque amore, severitate et duritate aliisque horum similibus continentur. Nam et haec vis animi, quae homines ad agendum conandumque compellit, dupli ratione cernitur, ut sit aut mota quaedam temporibus perturbatio, cum pugnant inter se cupido sanguisque consilium, aut is animi habitus, qui cum annis inolevit et, a naturae indole profectus, χαρακτήριο apud Graecos dicitur. Sed haec regio actionum humanarum quam latissime patet: nam diversa sunt inter homines vitae genera, studia, aetates, mores, ingenia, rerum civilium privatarumque status, cultus atque humanitas. Harum autem rerum non pictor solum perfectus noster poeta erit, ut silvarum agrorumque, sed effector etiam atque concitator, qui nostro in animo easdem ingenii virtutes, motus sensusque honestos atque ingenuos, qui aguntur, quasi consensu naturae simul cooriri, concieri, haerere totosque nos capere jubeat; qui idem eandem, ac in personis, contrariorum pugnam, cupidinum aestus, consilii melioris quasi imperato-

riam artem et auctoritatem in nobis excitet; qui nos faciat dolere, poenitere, angari et cruciari aut sperare, vincere, exultare; ita, ut eadem, quae aut in scena aut in campo aut in domo fit actio, nostris in mentibus, non cogitatione solum, neque aegritudinis tantum aut laetitiae societate, sed reapse primis illis appetendi agendique clementis motibusque, quibus illa ipsa continetur et ad effectum adducitur, vera effigie repetatur. Hac ipsa re illud existit, quo animi moventur; haec arte sola simulari, efformari, sub adspectum posse nequeunt, additis quibuslibet orationis ornamentis atque lumibus. Veluti enim *sanguis*, per artus corporum fuisse, quamquam oculis clare non cernitur, tamen, quem corpus alat vanaque et vires ministret, tum interlucens coloris modo rubentioris modo pallentioris suavissimam efficit varietatem; ita in poematis esse aliquid oportet, quo illa vigeant, vireant, caleant spirentque, tum moveant, incedant, inflammant, rapient, impellantque quoslibet animorum affectus, sed ita, ut poeta non praeceps feratur, sed vis*) quae ipse moderator non arbitrio, sed consilio animos compellat, flectat, perturbet, at perturbatos incensosque deleniat, sedet, redcet ad tranquillitatem. Haec fero est illa, quam Aristoteles primus agnovit, παθητῶν καθαρίς, quam quidem ille misericordia et metu efficit. Vnde velit, eo a veritate paullum aberravit, quod θεος dixit πόνος τοισιδις universa, quani supra descriptum et φέσω separavit, qui est ex ordine ceterorum affectuum, qui tragœdia excitantur.

Generaliter hoc est poesis munus, ut descendens in potum hominum veluti redditu quodam facta, benignè excipiatur, ipsa hominem secum eveniat, allevet, tollat e sordibus vitae quotidiana. Itaque in poeta bono nostra mens se ipsam agnoscit, qualis sit, nec non sensim meliora percipiendo atque in suorum sanguinemque vertendo — nam inter vitae communis commercia, angustias, similitates, curas minutas et sollicitudines optima pars ingenii saepissime corruptitur atque tubescit: — tanquam emendantur, excolitur, persicitor, respuensque quaevis illiberalia ad se ipsam refertur. — Haec autem tria, quae enumeravimus, in quovis poeta simul esse oportet, ita vero, ut aliud in alio aut pleniū, aut acerius aut celerius, sit, nullum autem, quem una re multum valeat, ceterae prorsus deficiant. Quo autem in genere optimus velit esse, ipse videat; illud tenendum est, sive docendo, sive delectando, sive movendo major sit, unum sine altero esse nullo modo posse; primum illud necessarium in omni re esse; alterum autem minus quam tertium postulari; enctis denique effici egregium et perfectum in suo genere poetam. Hancine nos, spectatores, auditores, lectores, judicii normam secuti sententias ferimus de carminibus, memores quidem, aliud in alio genere potius esse, decere, exspectari. Quid in quoque deceat, aestimanti videndum est; quid plurimum valeat, animo sentimus.

*) Sit venia huic genitivo, qui est in dialogo de orationibus (c. 26), quem Taciti esse lubentissime concesserim.

Ab his pœsis principis genera carminum profecta sunt ea ratione, ut in eo, quod primum antiquitus ottum est, genere ceterorum initia et quasi semina laterent, quae, non inde divisa et sejuncta quasi secessione facta colchias constituerint, sed, ut alia translatione utar, tanquam e matris gremio in lucem sint edita, cum facie et indole parentum, tamen intet se varia, vultu et moribus disparia, quae est ratio infantium.

Traditum est enim (atque ita ferebat natura), exstissemus primum illud carminum genus, quo facta hominum membra traderentur; at omnis carminum epicorum gratia non continetur factis solum brachiorumque pedumque motibus, casibus, miraculis, caedibus, quae subjecta sunt curiositati, sed noscendo virorum fortium, veterum regum, gentium auctorum ipsos animos, virtutes, spiritus generosos, studia, amores, dolores, iras, amicitias. Quae quoniam agendo cernantur, tum magis etiam colloquendo perspicua fiunt; unde intelligitur, sermones multos interfici non fuisse cujusdam epœiae, quae dicitur, verbositatis, sed necessitatibus ab ipsa re profectae. Sic apud nostros plurimae narrationes, quae colloquiis cum ipso fabularum argumento fluentibus careant, admodum frigere mihi videntur. — Sed quum rerum absperibus, carum narrationes, quae paucis iisdemque simplicibus antiquorum affectionibus effectae sunt, temporibus antiquissimis primaeque hominum aetati responderent, reliquum fuit, ut cetera quoque ab hominibus facta imitatione poetis efformarentur. Nam ut Herodotus admiratio, qua totus epici carminis fere continetur, ad eam spectet mentis rationem, quam acriorem et vehementiorem supra diximus, supererat, ut aut molliore atque candidore animo, aut hilari et festivo hominum facta aut praeterita fingendo, aut praesentia describendo notandoque responderentur. Inde et bucolicum carmen initium cepit, quod apud veteres quoque non solum pastorali fistula decantatum fuit, et duplex illud genus, quod, cum subest argumentum fabulae, narratio comica, quin morum varia personis descriptio, satira vocatur. —

His tribus tria fabularum scenicarum genera ita respondent, ut tragœdia propinqua sit carmini epico, comœdia duplii illi tertio generi, alteri autem, in quo potior est morum animorumque simplicitas, tranquillitas, innocentia, illud fabularum genus, quod veteres nec nomine neque usu receperunt, apud nos magna autem olim gratia valuit. At epicum dramaticumque genus uno nomine comprehendendum videtur, non quasi idem sit eorum usus, constitutio, sed quod eadem natura est. Si in rebus gestis narrari satis est, in hac materia omnium animi motuum, quibus consilia, facinora, conatus, scelera, beneficia, fraudes dolique pariuntur, quin sermones alterni et meditationes primum locum obtinerent, in actionem et gesticulationem abire factorum narrationem ipsa rei natura postulavit. —

Generis lyrici, cuius tam multae sunt species, sed a formis potius quam a re nominatae, similis fere est in tria divisio; sed ipsum profectum est a molliore illo

mentis humanae habitu, de quo supra dixi. Diversae sunt, prout vehementiores aut sedatores sunt animi motus. In aliis cernitur severitas quaedam et sublimitas, ut in hymnis, carminibus patriae amore incitatis, nec non acerbitas in iambis epodisque. In aliis omnis est animorum fervor, amor, laetitia, dolor, querimonia, et quaecunque pectus humanum movent. Est autem tertium quoque genus carminum, tenue quidem et a sublimitate pariter atque a mollitudine remotum, quod hilaritatis quandam praese fert speciem, maxime cantando aptum, in quo jucunditas securitasqne vitae polissimum cernitur et effertur. Cujus generis sunt plurimae Horatii odae. — Denique a prima illa humanae mentis vi intelligendi atque percipiendi profectum est tertium poesis genus, quod aut sententiarum veritate, pulchritudine, elegantia, facetiis et lepore delectat, aut varia hominum negotia curasque, in quibus animorum motibus locus non datur, vivis coloribus depingit, aut rerum naturam in mundique consensuum aperit sapientiamque docet et recte beneque vivendi artem, ita ut in hoc quoque genere triplex illa mentis humanae vis ipsa cernatur.

Quae latius explanando quum neque tempus neque locus darentur, hoc unum addendum esse putavi, hanc triplicem partitionem, a rerum natura profectam, non solum in reliquis orationis humanae generibus locum habere, sed in iis etiam artibus, quae manibus exercentur. Neque prius artium doctrina ab omni parte perfecta fore mihi videtur, quam uniuscujusque et varietatum et similitudinum quum in toto corpore tum in artibus singulis universitas fuerit cognita et constituta. —

etiam quodcumque de animo te perpperit, mutata in se. Tamen hoc
est, ut etiam quodcumque de animo te perpperit, mutata in se.
ab aliis, quodcumque de animo te perpperit, mutata in se.
ab aliis, quodcumque de animo te perpperit, mutata in se.
ab aliis, quodcumque de animo te perpperit, mutata in se.
ab aliis, quodcumque de animo te perpperit, mutata in se.

II.

De origine vocis Edepol.

Videtur mihi paulum durior hujus vocis originatio facta esse a grammaticis, qui eam coaluisse in unum ex tribus verborum fragmentis, quae esse volunt me — deus — Pol, arbitrentur, ita ut praecisa littera m pronominis audiatur etiam juvet sive juva. Cui interpretationi, quum usus verbi quidem atque potestas convenient, tamen nec tot verba mutilare mutilaque copulare latinum est, neque, id quod maxime illorum interpretationi contrarium est, simplicia verba, sicuti me, ita capit is temere dainnantur, ut nonnisi truncum aliquid atque obscurum restet, cuius significatio vix intelligi possit. Tum otiosa esse videtur addita in obtestandi formula divinitatis nota. Denique si legeretur quoque medopol vel medecastor, ut dicitur mecastor et mehercule, non esset quidem improbanda grammaticorum ista ratio, cuius similitudo exstat nulla.

Ut ad fontem nostrae vocis perveniamus, illud primum tenendum est, origines verborum ita duci non posse, ut eorum tantum habeatur ratio, quae praesenti auctoritate valent usuque quotidiano sint recepta. Neque solum ad ora majorum priscasque litterarum reliquias ascendendum est, sed etiam ab oratione forensi bibliopolarumque tabernis in casas illiberales descendi, ab urbe in rus migrari oportet. Miro enim quodam modo fit, ut, quem admodum sunt inter homines varii ordines dignitatisque gradus, eadem fere conditio cernatur vocabulorum. Sunt alia quasi nobilia, alia plebeja, utraque vero vel gentilia vel ab eodem patre prognata; illa apud cives ingenuos scriptoresque elegantes recepta, haec vulgari tantum sermone trita; illa urbana, haec rustica. Saepe usu venit, ut verborum idem primitus significantium alterum quasi in honore ac pretio sit, alterum in turpioris cuiusdam rei significationem abierit, ut inter homines liberales vix audiatur. In eodem populo vigent valentesque sermo urbanus et sermo rusticus; inter quos medius est plebejus ille, qui ab illo urbano sermone non tam vocabulis ipsis,

quam corrupta et quasi mutilata horum forma ~~saepe~~, et minus honesta oratione diversus est. Jam sermonis urbani est perspicuitas, elegantia, numerus, pulchra verborum dispositio, unde, ut unum afferam, fluxit mira illa in oratione latina comprehensio verborum, qua, instar aedificii omnibus partibus congruentis et proportione structi, universus sententiarum ambitus ad formam pulchritudinis aptus atque formatus est, ita ut verba ab initio ad finem usque aequa canora ac dilucida ferantur nec non enuntiatorum inter se auctoritas et conditio verborum dispositione effingatur. Alia sermonis rustici ratio est. Qui composita verba non amat, sed simplicia; sententiarum arte factam comprehensionem odit et singula distracta quam maxime laxis vinculis nectit. At in vocabulis significationibusque rerum multo nervosior et distinctior, in coloribus acrior, in jocis aculeatior est; idemque copia verborum inexhaustus. His rebus mutua quaedam inter utrumque sermonem conditio facta est, qui, quum contrarii sint et in diversas partes abeant, tamen alter ex alterius castris trans fugas quosdam arcessero solent. Maxime sermo urbanus de illo vocabula transfert, distinete et torose dicta mutuatur, informia de illo sumta formosiora atque elegantiora reddit.

Ab hoc sermone rustico, quem apud Latinos quoque fuisse constat, illae linguae originem duxere, qua nunc Itali, Galli, Hispani utuntur. Unde intelligitur, omnem, quae apud hos exstat, materiam vocabulorum, si cum sermone optimo latino, qualem apud elegantes scriptores legimus, comparetur, neque significationibus origini respondere, neque sonis ipsis similia in isto reperiri. Ejus rei causa est, quod in sermone rustico Latinorum plurima verba existit, quae in urbano aut civitatem non adepta sunt, aut forte tantum dicta reperiuntur, aut reperta mala nota designata sunt, aut aetatis, quae dicitur, deterioris suere. Saepissime apud recentes illos populos vox aliqua summa auctoritate gaudet in magna que familiae origo est, cuius vix quandam cognitionem aut ulla vestigia apud Latinos invenies. Alia est ratio, quum id verbum, quod apud illos honestum est, apud Latinos vulgare aliquod, aut sordidum, aut humile significat. Ita vero fit, ut in lexicis latinis invenias verba, quorum nullam esse in eadem lingua gentem familiaque mireris. Quod maxime in nominibus propriis usu venit. Contra in illorum lingua plurimarum rerum, corporis partium, temporis spatiique notionum, rerum domesticarum, saepissimie factorum nomina latina esse non putabis, ita saepe, ut e contrariis quum alterum latinum sit, alterum prorsus alienum sonet. Tamen latina sunt, quanquam apud scriptores non leguntur. Sunt enim cuncta ejusdem sermonis rustici, quo patre Gallorum, Hispanorum, Italorum recentes linguae prognatae sunt. Quod maxime ea re probatur, quod, si quod in his verbum alienum a sermone latino esse videtur, tamen in tribus illis fere similiter sonet, ut aut ausonicum, aut celticum, aut ibericum esse conjici prorsus non possit.

De his quin in universum satis dictum esse videatur, redeamus ad proposi-

tam nostram originationem. Altera vocis pars quin per se intelligatur, alterius quaerenda est origo. Est apud Gallos ~~et~~ aider, cui apud Italos respondet aitare, utraque juvandi quidem potestate, nec tamen hinc vel ab adjuvando derivata; nam hoc italicice est ajutare. Primum, quod rationem scribendi attinet, legi quoque aedepol grammatici perhibent. At, quam plurimae voces latinae, quarum prima littera **æ** fuit, apud Gallos in **é** abierint, nonnullae tamen **ai**, similiore pronuntiatione, formaverunt, veluti aigre, airain, ductae ab **aeger**, **aereus**. In lingua itala aitare fere unicum est verbum, cuius primae litterae **ai** audiantur; idemque rarissimum atque obsoletum. Neque raro factum est, ut alterius linguae **d** altera in lingua in **t** mutatum sit.* Denique diversae infinitivi formae illarum vobum vim exceptionis non habent, quum saepius latini Verborum exitus modo in itala, modo in gallica lingua, ex lege varietatis, in contrarios abierint; cuius exempla quum satis nota sint, affero tantum: faillir, recevoir, boir, conquerir. Quae tamen ut ita sint, ais, evincere non poteris, vocis aider originem praeter hanc conjecturam in lingua latina reperiri posse. Immo, noli putare, hujus vocis abditas quasi radices vel gentem familiamque me esse perscrutaturum. Cujus operae quin pretium futurum non sit, hanc illis permiserim, qui sint in enodandis verborum primis elementis sagaciiores. Unum tantum addo, quo probem, fieri potuisse, ut praeter hanc voci Edepol junctam formam verbi ciusdam **AED** in sermone urbano ejusdem cognitionis nihil superstissem. Cognita enim res est, nostram vocem legi potissimum apud poetas comicos veteres; accedit, quod et Edepol et Ecastor a mulieribus potissimum usurpata fuisse a grammaticis traduntur. Quod autem nos ad religionis alicujus rationem referendum censeo, sed eo intelligi volo, quod apud mulieres, utpote a rebus publicis, litteris, commercio virorum, circulis hominum doctorum exclusas, prima vetustas verborum potissimum conservabatur. Nescio quo fere loco Cicero dicit, si audiret quandam matronam, sibi videri proavum ejus audire vociferantem.

Jam vero exempla proferenda videntur eorum, quae supra de sermonis urbani et rustici apud Latinos ratione disputavi, non quasi ignota essent, sed ut probabilius fiat, Edepol quoque ex eorum vocabulorum numero esse, quae apud Latinos obsoleta et quasi extincta in recentioribus linguis servata audiantur.

In his quasi majorem dignitatem accepere casa, caballus, testa, bucca, unde italicice **casa**, **caballo**, **testa**, **bocca**, galliae **chaise**, cheval, tête, bouche flectuntur, sed ea notionis mutatione, ut illa verba, quamvis non ignobilia tamen a quadam dishonesti significatione non aliena essent, nunc, deletis earundem rerum latinis nominibus, honesta quasi facta sint. Pariter gamba latine de pecore tan-

* Sic peton, pieton, pieter e pes, pedis formata sunt.

tum dicitur; apud illos *giamba*, *janbo* generantur. *Verbi circus* vis atque potestas e genere ad singularis loci significacionem descendit, tamen in veteribus glossis servata legatur *circare*, *circitor*, quae apud elegantes scriptores non reperiuntur; (figurae vero significacionem habet circulus, instrumenti *circinus*); ecce autem apud illos simplicem verbi formam revocatam in *cercare*, *chercher*, mutata quidem circueundi notionem in vim quaerendi. *Caminus* quoque e generali in singularem significacionem coactum est. Illam invenies in italico *caminare*, gallico *cheminer*; quae valent ire; ac quo magis eluceat, ejusdem verba originis notionisque fuisse. Galli formaverunt illam, qua saepius utuntur, varietatem: *chemin via*, *cheminée caminus*. — Syllabae *ce*, quae vocibus affigitur, quum praecipuus multiplex que usus apud comicos fuerit, apud recentes conditio mutata est, ut quasi suae potentatis verbum factum sit. —

Est stirps quaedam, si ita dici licet, in vocibus *pæne* et *penuria*, quae defctionem aliquam significant: sed illa, quae apud Latinos obscurior latuit, illic libertatem nacta pena et peine ejusdem notionis *nomina* formavit. Solum et quasi desertum est *verbum campus* neque ullum latinum verbum reperies, quod sit ejusdem gentis. Sed, quae in illo latuit aperti planique significatio, recepta est voce italica *campare*, quae valet liberare; nec non, quae vox apud Gallos ferias ludorum publicorum significat, *campos*, eodem revocanda esse videtur. Pari modo talea, quae partis alicujus desectae vim habet, quum ejusdem originis alia apud Latinos vox non exstet, apud recentes fines dilatavit interque gentes verborum recepta est. Inde enim flexa sunt *tagliare* et *tailler* cum eadem principali significatione. Similis fere est ratio vocis *culpae*, quae alicujus delicti aut omissionis notionem continetur. At eadem vox, quae animi quandam maculam significat, videtur initio aliquod sensibus subjectum declaravisse, ut esset turpis quaedam plaguee inflictæ nota. Inde primum in vim noxae maculaeque abiit, tum vero causani reprehensionis significavit. Vera autem et propria hujus verbi vis servata est in voce italica *colpo* et gallica *coup*, quae ictum significant. Neque haec originatio dubia fieri potest, quod apud Gallos *coulpe* quoque auditur cum integra *culpae* notione. Immo hac re magis etiam probatur, utramque illam vocis significacionem, sermonis rustici alteram, alteram urbani, simul usque viginisse, tamen ut utriusque cognatio non sentiretur. Eodem pertinet *hostis*, cuius significacionem pristinam ab *hostis* non diversam fuisse Cicero tradidit. Reperitur autem haec in italico *osteria*, gallico *hôte*; *hos pes* autem mansit in hospice, nec non, una littera amissa, in *hôpital*. — *Batuare* rei gladiatrixe proprium fuisse videtur, ita ut ictum inferre valeret; apud bonos scriptores non proprie dicitur, nisi vis locum Suetonii afferre (in vita Caligulae), ubi, non sine quodam contemptu, ad imperatoris exercitia male honesta transfertur. Idem apud Plau-

tum legitur. Batualia quoque, ~~Cassiodoro auctore, exercitationes militum vel gladiatorem nominabantur. Inde adoleverunt postea bataglia, bataille, battare, battre, quum ejusdem notionis latina nomina in illis linguis cuncta perierint.~~

Nominum priorum latinorum cognata et quasi gentilia verba quum saepissime eadem in lingua ~~non reperiuntur, ducta ab eadem origine~~ in recentibus illis linguis audiuntur. Veluti, qui apud Ciceronis aequales malleus dicebatur, dictus est apud posteriores marculus sive martulus, quod videtur esse flexum de Marcus, qua eadem forma Isidorus pro mallei utitur. Apud Gallos autem olim Martel auditum fuit, hodie marteau auditur. Dein in nomine Cassii et cassium ea mihi videtur notio subesse, quae gallico chasser continetur, praesertim quum chasser perse valeat agere, pellere, exitare, id quod ei venationis generi bene respondet, cui cassium usus adhibetur. Cajus, quod Gajus pronuntiatum est, alienum quidem est a Plautino verbo cajare, unde descendisse putas cabot, cahoter — cum simili percutiendi significatione —, sed reperitur in gallico gai = laetus; qua verbi Caju's potestate notus ille nuptiarum mos optime intelligitur. — Mirum est, quum altitudinis notio et in itala et in gallica lingua vocabulo latino reddatur, profundi nomen — basso, bas — prorsus alienum sonare. Qua propter assentiar grammaticis, qui Bassi et Bassuli (bassuli) nomina, ducta a graeco βαθύς (*báthos*) profundi humilisve significacione interpretantur. Omnino nomina propria, antiquitus formata, quum cognata primitus vocabula aut tempore perierint aut in sermonem rusticum migraverint, magnam partem, si quis enodando et comparando operain dare volet, in illis recentibus linguis aut sonis prorsus similia aut varie mutata flexaque reperiri poterunt.

Habes meam de vocis Edepol origine opinionem, quam quidem ab argumenti auctoritate tantum distare concederim, quanto sit difficilis, inter gyros et Maeandros artis etymologicae cavere, ne forte similitudine quadam induci aut praecipites aut transversi agimus.

E r r a t a.

In quibusdam exemplaribus corrigenda restant:

- p. 3 l. 15 quo minus pro quominus.
- „ 4 l. 17 religio pro reglio.
- „ 4 l. 25 quarum pro quorum.
- „ 4 l. 26 subjectae pro subjecta.

Esse potest, ut in paucis calamum effugerint bonum, bouum, bovum, p. 2. pro quibus bouum legendum.